


rationantur, sed simpliciter intelligunt; quocirca magis proprie *intelligentiae* vocantur.

In his habes rationem divisionis, quam tradimus, Pneumatologiae in duas partes: quarum prima complectitur tractationem de animabus intellectivis, et appellari consuescit *Psychologia superior* vel *Anthropologia*; altera complectitur tractationem de intelligentiis puris, et appellari potest *Angelologia*.

PARS PRIMA



DE ANIMABUS INTELLECTIVIS.

Existencia in homine cuiuspiam principii materia praestantioris iam satis explorata videtur post ea quae in secunda et in tertia Cosmologiae parte exposuimus: homo enim habet commune cum plantis vegetare, cum brutis sentire. Restat igitur ut inquisitioni subiiciatur utrum in homine reapse existat principium, non solum praestantius materia, sed a materia etiam independens, cuius gratia ipse transcendit omnes naturas materiales, naturasque omnino spirituales attingit.

Procul dubio inquisitio haec, ratione habita gravitatis suae, antevertere deberet caeteras alias in praesenti tractatione: at, nolentes recedere a methodo qua in Cosmologia usi sumus, ante omnia, ductu observationis, recensebimus operationes et facultates quibus homo discriminatur ab animalibus inferioribus: deinde ex professo discutiemus genuinam naturam earundem, et ab illa discussione liquido scaturient spiritualitas caeteraque spectantia ad naturam propriam animae humanae.

CAPUT I.

DE FUNCTIONIBUS ET FACULTATIBUS ANIMARUM INTELLECTIVARUM



Homo, praeter functiones communes etiam viventibus inferioribus, exerit alias operationes longe nobiliores, quae eum ponunt velut in confinio inter substantias materiales

et substantias mere spirituales. Operationes istae, licet multae ac variae, tamen in duobus solis ordinibus comprehenduntur; etenim aut sunt *cognoscitivae* aut sunt *appetitivae*, et non nisi duas facultates arguunt: *intellectum* et *appetitum intellectivum*, seu *voluntatem* proprie dictam. Observatio, ratiocinio corroborata, haec in comperto ponet.

ARTICULUS I.

DE INTELLECTU.

Intellectus (ab *intus* et *legere*) est facultas cognoscitiva superior, quae non haeret, sicut sensus, in rerum superficie, sed intime penetrat et ad earum quidditatem seu essentiam pertingit.

Ipsa appellatur etiam *mens* (a *metiri*), quia metitur quodammodo veritatem in rebus, decernendo quidquid unicuique conveniat aut non. Appellatur *facultas principiorum*, *ratio*, *conscientia*, *memoria*. At de his intellectus nominibus alias. Nunc praestat statim examinare eius obiectum et operationes praecipuas, quae sunt perceptio, iudicium, ratiocinium, reflexio et memoria.

§ I. DE OBIECTO INTELLECTUS.

Intellectus noster spectari potest aut absolute, ut *intellectus*, aut relative, ut intellectus *humani*, scilicet ut intellectus profluens ab anima coniuncta materiae. Hinc divisio obiecti intellectus in *adaequatum* et *proportionatum*.

Obiectum adaequatum et obiectum proportionatum. — Primum est quod refertur intellectui nostro absolute spectato, i. e. prout *intellectus*; alterum est quod refertur intellectui nostro spectato relative, i. e. prout *humani*. Primum complectitur quidquid quocumque modo (primario vel secundario, directe vel reflexe, etc.) a nobis intelligitur; alterum complectitur tantum quae habent connaturalem quandam proportionem cum intellectu nostro, et ideo pri-

mario ac per se a nobis intelliguntur, suntque causa qua intelliguntur caetera alia.

THESIS. — *Obiectum adaequatum intellectus nostri complectitur omne ens; obiectum vero proportionatum complectitur tantum essentias rerum materialium.*

Prob. I p. (*obiectum adaequatum... complectitur omne ens*). — I. — Intellectus noster attingit ipsam rationem entis, ut sic, nimirum attingit ipsam rationem entis absolute et universe accepti. Atqui ratio eiusmodi necessario reperitur in omni ente, sive infinito sive finito, sive immateriali sive materiali, etc. Ergo intellectus noster, attingendo rationem entis, sub ipsa saltem, attingit omne ens.

II. — Ipsa experientia testatur nos aliquo modo intelligere omnia: Deum nempe, spiritus, corpora, substantias et accidentia, singularia et universalia, concreta et abstracta, realia et possibile, etc. Ergo...

Prob. II p. (*obiectum vero proportionatum complectitur tantum essentias*). — I. — Proprium intellectus est *legere intus*, scilicet apprehendere id quod latet in rebus. At id quod latet in rebus profecto est earum essentia, quae aciem sensus omnino effugit. Ergo obiectum proprium seu proportionatum intellectus nostri est essentia rerum.

II. — Quum aliquod obiectum sensus percipit, intellectus vel rudiores directe et immediate feruntur in illius quidditatem seu essentiam, scilicet inquirunt quid sit. Iam id in quod facultas aliqua directe et immediate fertur, oportet esse obiectum eius proportionatum. Ergo...

Prob. III p. (*rerum materialium*). — Intellectus humanus, saltem in praesentis vitae statu, semper indiget actione sensuum ut sese exercere possit. Et vero:

1) Cum sensus aliquis penitus deficit, deficit quoque intellectualis cognitio circa naturam obiecti sensus illius.

2) Si, ut accidit e. g. in somno, sensus quiescit nulla repraesentatio sensibilis in cerebro efficitur, quiescit etiam intellectus, nec quidquam valet amplius intelligere.

3) « Quando aliquis conatur aliquid intelligere, format sibi aliqua phantasmata, per modum exemplorum, in quibus quasi inspiciat quod intelligere studet; et inde est etiam quod, quando aliquem volumus facere aliquid intelligere proponimus ei exempla, ex quibus sibi phantasmata formare possit ad intelligendum » (*S. Th.* I. p., q. LXXXIV, a. VII).

4) Res spirituales nonnisi post res materiales a nobis intelligi possunt et per quasdam earum similitudines genericas vel analogicas. Hoc adeo verum est ut: — a) voces significantes res spirituales a rebus materialibus mutuentur, quemadmodum accidit, e. g., de ipsa voce *spiritus*; — b) intellectiones nostrae, quae circa illas res versantur, semper comitentur repraesentationes sensiles, h. e. phantasmata, et sine his neque res materiales, neque res immateriales intelligere possimus unquam (1).

Ageiam; talis ac tanta dependentia intellectus nostri, a sensibus, nihil aliud nobis suadet nisi obiectum suum proportionatum esse essentias rerum materialium. Ergo...

Obi. I. — Pauci admodum sunt homines qui essentias rerum materialium, tam substantialium quam accidentalium, cognoscant. Ergo falso affirmatur obiectum proportionatum intellectus humani in essentiis praedictis consistere.

R. — *Dist. ant.* Cognitione confusa, incompleta, vulgari, perspiciendo, in ipsis saltem perfectiones magis com-

(1) « La experiencia nos enseña de continuo que siempre que entendemos, se agitan en nuestra imaginación formas sensibles relativas al objeto que nos ocupa. Ya son las imágenes de la figura y color del objeto, si éste los tiene; ya son las imágenes de aquellos con que se le puede comparar; ya son las palabras con que se expresa en la lengua que habitualmente hablamos. Así, hasta pensando en Dios, en el acto mismo en que afirmamos que es espíritu purísimo, se nos ofrece en la imaginación bajo una forma sensible. Si hablamos de la eternidad, vemos al *anciano de días*, tal como lo hemos visto representado en los templos; si de la inteligencia infinita, nos imaginamos quizás un piélago de luz; si de la infinita misericordia, nos retratamos un semblante compasivo; si de la justicia, un rostro airado. Al esforzarnos por concebir algo de la creación, se nos representa un manantial de donde brotan la luz y la vida, así como la inmensidad la sensibilizamos también en una extensión sin límites » (*BALMES, Filos. fund.*, lib. IV, cap. IV).

munes seu universales, entis, unius, existentis in se vel in alio, producentis vel producti, extensi, viventis vel non-viventis, etc., *nego*; cognitione distincta, completa, scientifica, perspiciendo in ipsis etiam genus proximum et differentiam specificam, *conc.*, et *nego cons.* Proprium est omnium facultatum hominum nonnisi pedetentim sese evolvere et finem seu obiectum proprium obtinere. Non est igitur cur miremur, si generatim nonnisi qui ad scientias animum intendunt, cognitionem completam rerum essentialium acquirunt.

Obi. II. — Si obiectum proportionatum intellectus humani forent essentiae rerum materialium, sequeretur in cognitione nostra universalia praeire singularibus, abstracta concretis. Atqui hoc falsum est. Ergo...

R. — *Dist. mai.* Sequeretur in cognitione nostra intellectiva universalia praeire singularibus, abstracta concretis, *conc.*; in cognitione nostra generatim sumpta, *nego*, siquidem nobis omnibus inest sensus, cuius obiectum unicum est singulare, concretum, et cuius operationes semper praecedunt operationes intellectus. — *Contrad. min.* Falsum est in cognitione nostra intellectiva universalia praeire singularibus, abstracta concretis, *nego*, propter ea quae in sequenti paragrapho discutemus; in cognitione nostra generatim sumpta, *conc.*, et *nego cons.*

§ II. DE PERCEPTIONE INTELLECTIVA.

Actus primus intellectus nostri est simplex perceptio qua ipse res primo sibi repraesentat, quin aliquid de eis affirmet vel neget.

Species intellectivae, verba interna seu mentalia, conceptus, ideae. — Repraesentationes seu imagines rerum quas intellectus, perceptionis ope, sibi comparat, vocantur *species intellectivae*, quia per ipsas intellectus *spectat* res; vocantur *verba interna* seu *mentalialia*, quia per ipsas mens intra se quodammodo loquitur et sibi res manifestat; vocantur *conceptus*, quia per ipsas res in mente nostra *conciipiuntur* ita ut esse novum (*intentionale*) in ea recipiant, praeter illud quod iam habent in natura (Cfr. pag. 140). Ast nomen,

quo potissime in praesens designari solent imagines praedictae, est graecum *ἰδέα*, quod latine idem sonat ac species seu forma (Cfr. CICERONEM, *Quaest. tusc.*, lib. I, et *Topic.* 30).

THESIS. — *Intellectus humanus prius percipit, in obiecto suo proportionato, quae sunt magis universalia.*

Prob. I. — Ut exsperientia testatur, intellectus noster initio non est actu cognoscens, sed tantum potentia; cognitionem autem acquirit paulatim. Iam omnis facultas quae ita explicatur, prius venit ad actum imperfectum, quam ad perfectum. Necesse est igitur intellectum nostrum, acquirendo cognitionem essentialium, prius acquirere cognitionem imperfectam, quam perfectam. At cognitio alicuius essentialis est eo minus perfecta, quo pauciores notas in se includit, h. e. quo magis abstracta, universalis evadit. Sic, e. g., cognitio essentialis hominis evadit imperfectissima, si homo cognoscatur solum tanquam ens; minus imperfecta, si cognoscatur etiam tanquam substantia, vivens, animal, etc. Ergo...

II. — Quod ratio suadet, experientia perspicue demonstrat. Sane, verba conceptus mentis manifestant; et ex modo quo populi atque individui linguam efformant vel addiscunt, desumi potest quosnam conceptus prius acquirant et quosnam postea. Iam: — 1) constat linguas ferarum gentium principio scateri nominibus genericis, et solum progressu temporis ac morum specificis ditari (1): — 2) constat infantes

(1) Questa legge dell'intelletto nostro di procedere nella conoscenza dal più universale al meno universale, trova una conferma nella considerazione del linguaggio; il quale per essere manifestazione esterna del pensiero ne rivela i caratteri e l'andamento. Le lingue, quanto sono meno perfette, tanto più abbondano di voci generiche e scarseggiano di specifiche. Esse esprimono ordinariamente con un solo vocabolo cose molto differenti fra loro: il che proviene da ciò che i popoli, ai quali quelle lingue appartengono, avendo tuttavia rozza l'intelligenza, e non

substantias universas principio designare appellatione communissima *rei*, quae est synonymon *entis*; quumque nomina propria addiscunt, haec ipsa ad rationem universalem significandam usurpare. Ergo...

Schol. — Ne quis hic difficultatibus irretiat, expedit nonnulla animadvertere. Et:

1) Processus a magis generali ad minus universale spectat solum ordinem directum et spontaneum cognitionis; non vero ordinem reflexum et scientificum. Hinc fit ut notiones seu ideae, quae principio acquiruntur, equidem absolute, h. e. per se, sint universales, sed ut tales non cognoscantur, nisi crescente experientia; ad hoc enim requiruntur observationes, et comparationes multae individuum, in quibus res, ab ideis repraesentatae, inveniuntur.

2) Quamquam cognitio nostra exordium sumat ab ideis maxime generalibus, cum istae ideae permaneant in intellectu, sin actu, saltem habitu, non in omnibus successivis cognitionibus necesse est ab ipsis exoriri; sufficit ideas novas, pedetentim acquisite, cum ideis iam partis componere, sicque ad ideas rerum magis distinctas et determinatas pervenitur.

3) Ideae maxime universales, quas mens primum parit, confusae quidem atque indistinctae, sed tamen sunt clarissimae. An quisquam, in vita posteriore, entis clariorem acquisivit conceptum, quam is fuit, quem iam puer habebat? Ideae autem unitatis et multiplicatis, veritatis et falsitatis,

ancora disciplinata a distinguere i diversi caratteri che separano un oggetto dall'altro, concepiscono le cose quanto a ciò che esse hanno di simile tra loro, e come tali le significano colla parola. Per contrario quanto più sono colte le nazioni, tanto più sono ricche nel linguaggio; sicchè basta una piccola differenza di oggetto, perchè esso abbia la sua frase propria. Ciò dimostra che col procedere della coltura, procede la distinzione più precisa nei nostri concetti; la quale, come è naturale, va poi a trasfondersi nella favella. Quindi la dovizia e vastità in antico dell'idioma greco: e lo stesso possiamo dire, senza tema di orgoglio, della lingua italiana, massimamente per ciò che spetta alle scienze razionali ed arti belle; benchè altre nazioni ci avanzino per ciò che riguarda le arti meccaniche e le scienze fisiche » (LIBERATORE, *Della conosc. intell.*, v. 2^o, cap. VIII, a. III).

substantiae et accidentis, causae et effectus, actionis et passionis, motus, temporis, spatii, etc., sunt clarissimae; tamen distincta praedictarum rerum cognitio magnam habet difficultatem. Cognitio igitur potest clara esse, quin distincta sit; distincta autem esse, quin clara sit, non potest.

§ III. DE IUDICIO.

Iudicium est actus quo intellectus noster, postquam perceptionis ope, conceptus seu ideas varias acquisivit, unam cum altera comparat, easque vel affirmando coniungit, vel negando disiungit, prout simul convenire aut repugnare decernit.

THESIS. — *Iudicium praerequirit comparisonem duarum idearum.*

Prob. — Iudicium est a *iure dicendo*; et nemo vere ius unquam dixerit, quin prius noverit rem de qua ius dicere debet. Sed in casu nostro res, de qua ius dici debet, est relatio convenientiae, aut repugnantiae, inter ideas subiecti et praedicati: relatio autem haec nequit apprehendi, nisi prius cognoscantur eius termini, atque iidem inter se comparentur. Ergo..

Coroll. — Ex dictis pronum est colligere: — 1) longe a veritate aberrasse Reid, Kant, Cousin, Rosmini, docendo iudicium esse primum actum intellectus nostri; — 2) eosdem philosophos errorem errore cumulasse quum, ad propriam opinionem sustinendam, distribuebant iudicia in *instinctiva* et *comparativa*.

Obi. — Iudicia primitiva, tum speculativa (uti principium contradictionis, principium causalitatis, etc.), tum experimentalia (uti affirmatio existientiae propriae et corporum), a nobis naturaliter ac necessario fiunt. Ergo non sunt comparativa, sed instinctiva.

R. I. — *Dist. ant. et nego cons.* Iudicia primitiva a nobis fiunt naturaliter ac necessario, propter summam et immediatam eorum evidentiam, quae mentis nostrae assensum

eripit, *conc.*; a nobis fiunt naturaliter et necessario propter caecum instinctum, quin prius mens nostra eorum veritatem apprehendat, per facillimam ac subitam comparisonem terminorum quibus constant, *nego*.

II. — Adversariorum sententia subruit universam scientiam. Re quidem vera iudicia primitiva, utpote primitiva, necessario praecedere debent omnem scientiam. Iam si iudicia huiusmodi a mente nostra ponuntur, non propter evidentiam qua fulgent, sed instinctive, quis praestare poterit ipsa vera esse? Sed certitudo scientiae, ait Aquinas, tota oritur ex certitudine principiorum; tunc enim conclusiones per certitudinem sciuntur, quando resolvuntur in principia. Ergo...

§ IV. DE RATIOCINIO ET RATIONE.

Saepe numero intercidit ut intellectus, comparando binos conceptus, statim non apprehendat utrum simul conveniant necne. Tunc ipse assumit tertium conceptum, quocum alios duos comparat, et, si hi ambo cum illo conveniunt, concludit ipsos convenire etiam inter se; sin vero unus convenit et alter non, concludit ne inter se quidem convenire.

Talis modus operandi intellectus nostri vocatur *ratiocinium*: ipsemet autem intellectus, quatenus ratiocinatur, vocari solet *ratio* vel etiam *discursus*, siquidem ratiocinando discurrit ex una veritate i. e. ex uno iudicio in aliud.

THESIS. — *Ratio non est facultas realiter distincta ab intellectu.*

Prob. I. — Unum idemque est obiectum formale intellectus et rationis, ens, verum; etenim ratiocinando nihil aliud inquirimus praeter cognitionem entis, veri. Atqui facultates quae habent idem obiectum formale, non sunt facultates, realiter distinctae. Ergo...

II. — Ratiocinando educuntur veritates secundariae seu *conclusiones* ex veritatibus primariis seu *principiis*. Atqui conclusiones non educuntur ex principiis, nisi eo quod in

ipsis contentae apparent. Ergo sola facultas cognoscens principia educere potest ex ipsis conclusiones. Sed, omnibus consentientibus, cognitio principiorum ad intellectum pertinet. Ergo...

Ratio superior et ratio inferior. — Penes christianos philosophos, post S. Augustinum, ratio distinguitur in *superiorem* et *inferiorem*, prout versatur circa res divinas aut versatur circa res mundanas. At nec distinctio haec realis evadit; etenim (ne alia dicamus), quanquam res divinae et res mundanae *materialiter*, h. e. in se, sint quam maxime diversae, *formaliter* tamen, h. e. quatenus rationi referuntur, simul conveniunt, sunt nempe omnes entia, intelligibilia, vera.

Ratio speculativa et ratio practica. — Ratio dividitur etiam in *speculativam* et *practicam*. Dicitur speculativa quae unice intendit ad cognitionem et contemplationem veritatis; dicitur practica quae veritatem cognitam ordinat ad operationem (graece *πράξις*). Iam, cum ordinatio ad operationem naturam cognitionis non mutet, et eadem cognitio possit esse speculativa aut practica, prout ordinatur aut non ordinatur ad operationem, differentia existens inter praecitata rationes non est duarum facultatum distinctarum, sed est tantum differentia duorum respectuum eiusdem facultatis.

Coroll. I. — Stricte loquendo nomen *intellectus* adhiberi debet ad significandam facultatem nostram intellectivam quatenus elicit simplices perceptiones, iisque efformat iudicia primitiva seu principia; contra nomen *rationis* adhiberi debet ad significandam eandem facultatem intellectivam quatenus ex iudiciis primitivis discurrit in alia, scilicet ex principiis educit conclusiones.

Coroll. II. — Falsus est Cousin, qui seiunxit rationem superiorem a ratione inferiori; et magis falsus est Kant, qui primo seiunxit rationem speculativam a ratione practica, postea, cum sophismatibus perdidisset rationem speculativam, aestimatus est se eam fore recuperaturum ope rationis practice.

Obi. — « Homo communicat cum angelis in intellectu, cum brutis vero in sensu. Sed ratio, quae est propria ho-

minis, qua animal rationalis dicitur, est alia potentia a sensu. Ergo, pari ratione, est alia potentia ab intellectu, qui proprie convenit angelis, unde et intellectuales dicuntur ».

R. — « Dicendum quod alia animalia sunt ita infra hominem, quod non possunt attingere ad cognoscendam veritatem, quam ratio inquirat. Homo vero attingit ad cognoscendam intelligibilem veritatem, quam angeli cognoscunt, sed imperfecte; et ideo vis cognoscitiva angelorum non est alterius generis a vi cognoscitiva rationis, sed comparatur ad ipsam sicut perfectum ad imperfectum » (*S. Th.*, p. I, q. LXXIX, a. 8).

§ V. DE REFLEXIONE.

Reflexio est actus quo intellectus, postquam aliquid intellexit, redit in seipsum, sicque intelligit intellectionem suam.

Reflexio psychologica et reflexio ontologica. — Quum intellectus redit in se et intelligit intellectionem suam, aut eam respicit *subjective*, nimirum quatenus est actus suus; aut eam respicit *objective*, nimirum quatenus repraesentat hoc vel illud obiectum. Si primum, habetur reflexio *psychologica*, quae dicitur etiam *conscientia* (vulgo *consapevolezza*), quia intellectus non potest *scire* h. e. percipere actiones suas ut suas, quin *cum* ipsis semet percipiat: sin alterum, habetur reflexio *ontologica*, quae dicitur etiam *recogitatio*.

THESIS I. — *Facultas reflectendi realiter non distinguitur a facultate intelligendi.*

Prob. — Ex ipsa reflexionis notione. Nam reflexio importat *reditum* in operationes *intellectivas*. Sed reditus fieri nequit nisi ab illo qui primo motum habuit, nempe operatus est; qui autem primo motum habuit, nempe operatus est, in casu nostro, est intellectus. Ergo...

THESIS II. — *Intelligens, ope reflexionis psychologicae seu conscientiae, immediate percipit existentiam suam.*

Prob. I. — Quisque sibi intime conscius est quod, quum redit in intellectiones suas, eas percipit, non in abstracto, tanquam intellectiones, sed in concreto, tanquam intellectiones suas. Atqui intelligens non posset percipere intellectiones suas tanquam suas, ni eodem actu, quo percipit intellectiones, perciperet etiam seipsam tanquam id quod *est* illarum principium seu causam. Ergo...

II. — Quae cognoscuntur, aut cognoscuntur immediate i. e. sine ratiocinio, aut cognoscuntur mediate i. e. cum ratiocinio. Atqui intelligens non potest cognoscere existentiam suam propriam mediate, i. e. cum ratiocinio: etenim, cum intellectio, ut talis, non referatur ad unum magis quam ad aliud principium intellectionis, intelligens, ab existentia intellectionum in ipso, posset quidem, ratiocinando, inferre existentiam cuiusdam illarum principii; at nunquam posset inferre existentiam suam propriam. Ergo, si intelligens cognoscit existentiam suam propriam, eam cognoscit sine ratiocinio. At indubium est unumquemque nostrum cognoscere existentiam suam propriam. Ergo...

Schol. — Quamplures philosophi recentiores arbitrati sunt conscientiam necessario comitari omnes indiscriminatim actiones intelligentis (*stati dell' Io*), ita ut prorsus impossibile huic sit aliquid agere, quin suae actionis conscientiam habeat. Nos quidem concedimus intelligens, continuo redire posse supra actiones suas (id quod scholastici appellabant *conscientiam habitualement*); imo concedimus nonnullas intelligentis actiones, uti reminisci, laetari, cruciari, reditum praefatum necessario arguere; sed, factis innixi, fatemur atque etiam profitemur intelligens persaepe in externa omnino incumbere, ac de se suisque actibus nihil plane cogitare (1).

(1) « Nous n'avons aucune peine à reconnaître cependant que certains faits psychiques, par leur définition même, impliquent à des degrés variables cette attention de l'âme sur elle-même et sont par con-

Coroll. I. — Quanquam conscientiae nomen crebro accipiatur ad indicandum ipsum intellectum, quatenus reflectit aut reflectere potest; in strictiori tamen ac severa acceptione non significat nisi *actum* illum reflexionis quo intellectus cognoscit se suasque intellectiones.

Coroll. II. — Conscientia, de qua locuti sumus: — 1) confundi nequit cum *conscientia morali*, quae est rationis dictamen, seu iudicium, circa moralitatem actionum humanarum; — 2) confundi nequit cum *conscientia sensitiva* in hoc consistente, quod, scilicet, sensus internus percipiat sensationes sensuum externorum ac proinde ipsum organismum sentientem.

Obi. I. — Repugnat idem principium cognitionis ad se et ad cognitiones suas redire, ut fiat simul cognoscens et cognitum.

R. — *Dist.* Si principium cognitionis est organicum ideoque materiale, *conc.*; si est immateriale, spirituale, *nego*, propter ea quae alibi sumus dicturi.

Obi. II. — Intelligens infert existentiam suam ex suis operationibus, iuxta effatum: « *Cogita, ergo sum* ». Falsum

séquent des phénomènes essentiellement conscients. Tels sont, par exemple, les faits d'observation intérieure, de volonté réfléchie, de réminiscence, et aussi certains phénomènes affectifs tels que le plaisir et la douleur qui par leur nature impliquent une certaine attention sur nous-mêmes. Aussi le défaut d'attention ou la distraction peuvent-ils, par exemple, soulager et même faire disparaître la douleur sans faire disparaître la réalité du mal. C'est même en argumentant sur ces faits particuliers que nos adversaires ont coutume de donner quelque apparence de vérité à leur opinion; mais ils ont tort, ce nous semble, de généraliser leurs conclusions et de les étendre à tous les autres faits psychiques, lorsqu'ils ajoutent: *ab uno disce omnes*. Si je ne puis souffrir sans penser à moi-même, je puis au contraire méditer une idée, creuser un problème, sans penser à moi-même, et je penserai d'autant mieux à ces objets que me serai oublié davantage.

L'état de ravissement et d'extase où l'âme a si complètement perdu conscience d'elle-même, toute fascinée qu'elle est par la beauté idéale qu'elle contemple, sont une nouvelle preuve que l'idée et la conscience de l'idée se distinguent et s'opposent comme la vision de l'objet pensé et la vision du sujet pensant. On peut donc penser sans savoir que l'on pense » FARGES, *Le cerveau, l'âme et les facultés*, p. 335-6).